

Santo Rosario en Latín



Sancti Rosarii

† In nómine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.
Amen.

Credo

Credo in Deum Patrem omnipotentem,
Creatorem cæli et terræ.
Et in Iesum Christum, Filium eius unicum,
Dominum nostrum,
qui conceptus est de Spiritu Sancto,
natus ex Maria Virgine,
passus sub Pontio Pilato,
crucifixus, mortuus, et sepultus,
descendit ad inferos,
tertia die resurrexit a mortuis,
ascendit ad cælos,
sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis,
inde venturus est iudicare vivos et mortuos.
Credo in Spiritum Sanctum,
sanctam Ecclesiam catholicam,
sanctorum communionem,
remissionem peccatorum,
carnis resurrectionem,
vitam æternam. Amen.

Pater noster

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;

fiat volúntas tua,
sicut in cælo, et in terra.

Panem nostrum cotidiánum
da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitoribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem,
sed líbera nos a malo.
Amén.

Ave María

Ave María gratia plena,
Dominus tecum.
Benedicta tu in mulieribus,
et benedictus fructus ventris tui, Iesus.

Sancta Maria, Mater Dei,
ora pro nobis peccatoribus,
nunc, et in hora mortis nostræ.
Amen.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in
saecula saeculorum. Amén.

O Jesu, dimitte nobis debita nostra, liberanos
ab igne inferni, conduc in caelum omnes animas,
praesertim illas quae maxime indigent
misericordia tua.

Salve Regina

Salve, Regina, mater misericordiae;
vita dulcendo et spes nostra, salve.
Ad te clamamus, exules, filii Evae.
Ad te suspiramus,
gementes et flentes
in hac lacrimarum valle.
Eia ergo advocata nostra,
illos tuos misericordes oculos
ad nos converte.

Et Iesum, benedictus fructus ventris tui,
nobis post hoc exsilium ostende.
O clemens, O pía, o dulcis Virgo María.

Actus contritionis:

O mi Domine Iesu, verus Deus et Homo verus, Creator, Pater et Redemptor meus, in qui credo et spero et quem super omnia diligo: me poenitet ex toto corde propter peccata mea quia Tu Deus bonus es ac me poenis inferni punire potes, et Tua gratia adiuvante emendationem in futuris polliceor. Amen.

Formula Rosarium offerendi:

Domine Deus noster, dirige et educ omnes nostras cogitationes, verba, affectus, opera et desideria ad maiorem Tuum honorem et gloriam. Et Te, Virgo beatissima, a Filio Tuo largire ut attente ac devote hanc coronam Sanctissimi Tui Rosarii recitemus, quam pro Sanctae Matris Ecclesiae atque nostris necessitatibus tam spiritualibus quam temporalibus offerimus, necnon et pro bono vivorum et suffragio defunctorum gratulationis Tuae ac maioris nostrae obligationis.

Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae: Tu nos ab hoste protege et hora mortis suscipe.

- V.** Dignare me laudare Te, Virgo sacrata.
- R.** Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Mysteria hodie contemplanda gaudiosa – luminosa – dolorosa – gloriosa sunt. Post enuntiationem omni mysterii Pater, decies Ave et Gloria Patri dicuntur. In fine singuli mysterii: O mi Iesu, peccata nostra dimitte nobis, ab igne inferni defende nos; perduc in coelum omnium animas, eorum imprimis qui maxime misericordia Tua indigent.

Gaudii Mysteria

- I. Incarnatio Verbi Dei ex Spiritu Sancto in sinu Virginis Mariae.
- II. Visitatio Beatae Mariae Virginis ad Elisabeth.
- III. Nativitas Filii Dei in Bethlehem Iuda.
- IV. Purificatio Beatae Mariae Virginis et Presentatio Pueri in Templo.
- V. Inventio Pueri in Templo in medio Legis doctorum.

Doloris Mysteria

- I. Oratio Iesu Christi in horto Gethsemani super montem Olivarum.
- II. Flagellatio Iesu Christi ad columnam.
- III. Coronatio spinarum.
- IV. Sanctae Crucis baiulatio.
- V. Divini Salvatoris nostri crucifixio, mors et sepultura.

Gloriae Mysteria

- I. Resurrectio Iesu Christi a mortuis.
- II. Ascensio Iesu Christi in coelos.
- III. Missio Spiritus Sancti Paracliti ad Apostolos.
- IV. Gloriosa Beatae Mariae Virginis in coelum Assumptio.
- V. Coronatio Beatae Mariae Virginis Regina coelorum in terris.

Gratiarum actio:

Gratias innumeras agimus Tibi, Augusta Principissa, propter omnia beneficia a munificentissima manu Tua accepimus: dignare, Domina nostra, nos sub Tua protectione et refugio semper conservare, ad quem dicimus Tibi:

Antiphona.

Salve, Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus exsules filii Hevae. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia, ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.

- V.** Ora pro nobis, sancta Dei Genetrix.
- R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus cujus Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit: concede, quaesumus; ut, haec mysteria sacratissimo beatae Mariae Virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continent, et quod promittunt, assequamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

**LITANIAE LAVRETANAE
BEATAE MARIAE VIRGINIS**

Adprobatae a Sixto PP V cum bulla Reddituri
11 iulii A. Dni. 1587

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Pater de coelis, Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte, Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum, ora pro nobis.
Mater Christi, ora pro nobis.
Mater Ecclesiae, ora pro nobis.
Mater Divinae Gratiae, ora pro nobis.
Mater purissima, ora pro nobis.
Mater castissima, ora pro nobis.
Mater inviolata, ora pro nobis.
Mater intemerata, ora pro nobis.
Mater immaculata, ora pro nobis.
Mater amabilis, ora pro nobis.
Mater admirabilis, ora pro nobis.
Mater boni consilii, ora pro nobis.
Mater Creatoris, ora pro nobis.
Mater Salvatoris, ora pro nobis.
Virgo prudentissima, ora pro nobis.
Virgo veneranda, ora pro nobis.
Virgo praedicanda, ora pro nobis.
Virgo potens, ora pro nobis.
Virgo clemens, ora pro nobis.
Virgo fidelis, ora pro nobis.

Speculum iustitiae, ora pro nobis.
Sedes sapientiae, ora pro nobis.
Causa nostrae laetitiae, ora pro nobis.
Vas spirituale, ora pro nobis.
Vas honorabile, ora pro nobis.
Vas insigne devotionis, ora pro nobis.
Rosa Mystica, ora pro nobis.
Turris davidica, ora pro nobis.
Turris eburnea, ora pro nobis.
Domus aurea, ora pro nobis.
Foederis arca, ora pro nobis.
Ianua Caeli, ora pro nobis.

Stella matutina, ora pro nobis.
Salus infirmorum, ora pro nobis.
Refugium peccatorum, ora pro nobis.
Consolatrix afflictorum, ora pro nobis.
Auxilium christianorum, ora pro nobis.

Regina angelorum, ora pro nobis.
Regina patriarcharum, ora pro nobis.
Regina prophetarum, ora pro nobis.
Regina apostolorum, ora pro nobis.
Regina martyrum, ora pro nobis.
Regina confessorum, ora pro nobis.
Regina virginum, ora pro nobis.
Regina sanctorum omnium, ora pro nobis.
Regina sine labe originale concepta, ora pro
nobis.
Regina in caelum assumpta, ora pro nobis.
Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.
Regina familiae, ora pro nobis.
Regina pacis, ora pro nobis.

- Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
- Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
- Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Antiphona.

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genetrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

V. Ora pro nobis, Sancta Dei Genetrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Concede nos, fámulos tuos quaésumus Dómine Deus, perpetua mentis et córporis sanítate gaudére, et gloriósa beatae Maríae semper Vírginis intercessione, a praesenti liberári tristitia, et aeterna pérfrui laetitia.

V. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Ad Sanctum Ioseph Leonis PP XIII precatio pro mense octobris: Ad Te, beate Ioseph, in

tribulatione nostra confugimus, atque, implorato Sponsae tuae sanctissimae auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quaesumus quae te cum immaculata Virgine Dei Genetrice coniunxit, caritatem, perque paternum, quo Puerum Iesum amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad hereditatem, quam Iesus Christus acquisivit Sanguine suo, benignus respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras. Tuere, o Custos providentissime divinae Familiae, Iesu Christi subolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem; propitius nobis, sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e caelo adesto; et sicut olim Puerum Iesum e summo eripuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende: nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in caelis beatitudinem assequi possimus. **R.** Amen.

Ad mentem Romani Pontificis precamur ut omnes indulgentias Sanctissimo Beatae Mariae Virginis Rosario concessas consequamur: Pater, Ave, Credo. Et fidelium animae, per misericordiam Dei, requiescant in pace. Amen.

V. Nos, cum prole pia.
R. Benedicat Virgo Maria.

Et sic Rosarium terminatur.

ORACIONES EN LATÍN

Signum Crucis

Per signum (✝) Sanctae Crucis, de inimicis (✝) nostris, libera nos (✝), Deus noster.
In nómine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Spiritus Sanctus invocatur

Antiphona.

Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Confiteor

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Iohanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaellem Archangelum, beatum Iohannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, et omnes Sanctos, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. Amen.

Credo

Credo in unum Deum,
Patrem omnipotentem,
factorem caeli et terrae,
visibilem omnium et invisibilem.

Et in unum Dóminum Iesum Christum,
Fílium Dei unigénitum,
et ex Patre natum ante ómnia saecula.
Deum de Deo, lumen de lúmine,
Deum verum de Deo Vero,
génitum, non factum,
consubstantiálem Patri:
perquem ómnia facta sunt.
Qui propter nos hómines
et propter nostram salutem
descéndit de caelis,

(Genaflectitur)

Ad verba quæ sequuntur, usque ad <<factus est>>, omnes se inclinant.

A las palabras siguientes hasta: <<y se hizo hombre>>, todos se inclinan.

ET INCARNÁTUS EST DE SPÍRITU SANCTO

EX MARÍA VÍRGINE, ET HOMO FACTUS EST.

Crucifixus étiam pro nobis sub Póntio Piláto;
passus et sepúltus est,
et resurréxit tértia die,
secúndum Scriptúras,
et ascéndit in cælum,
sedet ad dexteram Patris.
Et iterum ventúrus est cum glória,
iudicáre vivos et mórtuos,
cuius regni non erit finis.
Et in Spíritum Sanctum,
Dóminum et vivificántem:
qui ex Patre et Filióque procedit.
Qui cum Patre et Fílio
simul adorátur et conglorificátur:
qui locútus est per prophétas.
Et unam, sanctam cathólicam
et apostólicam Ecclésiám.
Confíteor unum baptísma
in remissionem peccatórum.
Et expécto resurrectionem mortuórum,
et vitam ventúri sæculi.
Amén.

Gloria

Glória in excélsis Deo
et in terra pax homínibus
bonæ voluntátis.
Laudámus te, benedícimus te,
adorámus te, glorificámus te,
grátias ágimus tibi propter
magnam glóriam tuam,
Dómine Dues, Rex cæléstis,
Deus Pater omnípotens.
Dómine Fili unigénite, Iesu Christe,
Dómine Deus, Agnus Dei,
Fílius Patris, qui tollis peccáta mundi,
miserére nobis;
qui tollis peccáta mundi,
súscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris,
Miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus,
tu solus Dóminus, tu solus Altíssimus,
Iesu Christe, cum Sancto Spíritu:
in glória Dei Patris.
Amén.

Agnus Dei

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi:
miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi:
miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi:
dona nobis pacem.

Kýrie, eléison

V. Kýrie, eléison.
R. Kýrie, eléison.

V. Christe, eléison.
R. Christe, eléison.

V. Kýrie, eléison.
R. Kýrie, eléison.

Benedictio

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
R. qui fecit caelum et terram

V. Dominus vobiscum
R. Et cum spíritu tuo.

Te Deum

Te Deum laudamus:
te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem
omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli;
tibi caeli et universae Potestates;
Tibi Cherubim et Seraphim
incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus
Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra
maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus Apostolorum chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum
sancta confitetur Ecclesia,
Patrem immensae maiestatis:
Venerandum tuum verum et unicum Filium;
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriae, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem,
non horruisti Virginis uterum.
Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti
credentibus regna caelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes, in gloria Patris.
Iudex crederis esse venturus.
Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni:
quos pretioso sanguine redemisti.
Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.

V. Salvum fac populum tuum, Domine, et
benedic hereditati tuae.

R. Et rege eos, et extolle illos usque in
aeternum.

V. Per singulos dies benedicimus te.

R. Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in
saeculum saeculi.

V. Dignare, Domine, die isto sine peccato nos
custodire.

R. Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos,
quedammodum speravimus in te.

R. In te, Domine, speravi: non confundar in
aeternum

Angelus

V. Angelus Domini nuntiávit Mariae;

R. Et concépit de Spíritu Sancto.

Ave Maria...

V. Ecce ancilla Dómini;

R. Fiat mihi secundum verbun tuum.

Ave Maria...

V. Et Verbum caro factum est;

R. Et habitávit in nobis.

Ave Maria...

V. Ora pro nobis, Sancta Dei Génatrix

R. Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Orémus

Gratiam tuam, quaesumus, Dómine, méntibus
nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi
Fílii tui Incarnatiónen cognóvimus, per passiónem
ejus ad crucem ad resurrectiόνis glóriam
perducámur. Per eúndem Christum Dóminum
nostrum. **R.** Amen.

Regina Caeli

(Para el Tiempo Pascual)

V. Regína caeli, laetáre; allelúia.

R. Quia quem meruísti portáre; allelúia.

V. Resurréxit sicut dixit; allelúia.

R. Ora pro nobis Deum; allelúia.

V. Gáude et laetáte, Virgo Maria; allelúia.

R. Quia surréxit Dóminus vere; allelúia.

Orémus

Deus, qui per resurrectiorem Fílii tui Dómini
nostri Iesu Christi mundum laetificáre dignátus es,
praesta quaesumus, ut per ejus Genetrícem
Víriginem Mariám, perpétuae capiámus gáudia
vitae. Per eúndem Christum Dominum nostrum.
R. Amen.

Anima Christi

Anima Christi, sanctifica me.

Corpus Christi, salve me.

Sanguis Christi, inebria me.

Aqua lateris Christi, lava me.

Passio Christi, conforta me.

O bone Iesu, exaudi me.

Intra tua vulnera absconde me.

Ne permittas me separari a te.

Ab hoste maligno defende me.

In hora mortis meae voca me.

Et iube me venire ad te,

ut cum Sanctis tuis laudem te

in saecula saeculorum.

Amen.

Veni, Creator Spiritus

Veni, Creator Spiritus, mentes tuorum visita,
imple superna gratia quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus, altissimi donum Dei,
fons vivus, ignis, caritas, et spiritalis unctio.

Tu, septiformis munere,
digitus paternae dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
infunde amorem cordibus,
infirma nostri corporis virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
pacemque dones protinus,
ductore sic te praeviso vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
noscamus atque Filium;
Te utrisque Spiritum credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria, et Filio,
qui a mortuis surrexit, ac Paraclito,
in saeculorum saecula.
Amen

Tantum ergo

Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, genitoque
Laus et iubilatio,
Salus, honor virtus quoque
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.
Amén.

Adoro te devote

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplan totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius;
Nil hoc verbo Veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas;
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro paenitens.

Plagas, sicut Thoma, non intueor;
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini!
Panis vivus, vitam praestans homini!
Praesta meae menti de te vivere
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pellicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine.
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere

Iesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud quod tam sitio;
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae.
Amen.

Claves para la pronunciación del Latín Eclesiástico

æ œ = e (p. ej., saeculorum -> seculórum)
qu = ku (nobis quoque -> nobis kuókue)
ce, cae, coe = che (in excelsis -> in ex-chelsis)
ci = chi
ch = k (p. ej., Christus -> Kristus)
ge gae = lle (unigenitus -> unillénitus)
gi = lli
gn = ñ (Agnus -> Añus)
tia, tie, tio = tsia, tsie, tsio (gratia -> grátsia)
ll = l + l (qui tollis -> kwi tol-lis)
ph = f